





SPECIMEN
CONTINENS

3, 69 1768, 7.
206.

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM

DE

CASVS PRAESTATIONE

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.

ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.
SOCIO

DIE VII. MAII ANNO MDCCCLXVIII.

IN AVDITORIO PETRINO

PVBLICE DEFENDET

AVTOR ET RESPONDENS

MATTHAEVS IOSEPHVS DE DVZEWISKY

FRVSSO POLONVS EX PALATINATV
MARIENBVRGENSI.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

beten-
ar pa-
pecu-
antea
bittere
enim
o, ita
videm
tione
refiti
m in-
Scri



SECCIMEN

CONTINENS

CAPVT HNS GOVTORVM

DE

ASVS PRESTATIONE

AVD

ILLVSIS IOHANNIS GRATA

DE

CHRISTIANO HENR BRUNING

PROFESSORIS HNS ET CENTRALIS

IN

DIE WER MALT AND CIGARETTEN

IN AUSTRIANO IMPERIO

AVD

AVTOR ET REDACTOR

ATTIANTIS SOCIETAS DE DRESDEN

AVD

L I P S I A E

EX OFFICINA LITHOGRAPHICAE





DE
P R A E S T A T I O N E
C A S V S.



§. I.

Nil nobis est negotii cum culpa et dolo eius-
que imputatione et praestatione; tantum
dicamus de *casus* praestatione. Casus est
euentus, qui nulla humana diligentia praec-
caueri atque praetideri potuit. Nunquam pendet ab ali-
cuius determinatione, hinc illius proprie nulla est impu-
ratio. At vero respiciendum est, qualis ille sit euentus,
qui contingit. Potest enim quid euenire, quod damnum
infert, contra euenit interdum aliquid (vtrumque tantum
de casu intelligimus), quod damnum haud cuiquam in-
fert



fert, imo quod magis alicui proficuum est. Ita solent iura agere de Thefauro inuento casu fortuito. Hic casus prodest, neque opus, vt de huius praestatione quidquam dicamus. Praestare enim dicimus de eo, qui damnum quod perpeffus quis est, refarcit. Si itaque agendum est de casus praestatione, haud quicquam aliud subintelligimus, quam restitutionem damni, quod quis euentu, quem prouidentia humana neque auertere, neque praeuidere potuit, perpeffus est.

§. II.

Expositis his verbis, facile intelligi possunt regulae, quae vulgo traduntur scilicet. *Casum in nullo negotio praestari*, atque alteram, *Casum sentire Dominum*. Prima regula ab eo pendet, quod, cum euentus ille, qui a casu pendet, a nemine et praeuideri et auerti potuerit, nemini imputari possit, si eo damnum contingat, neminem quoque adesse, a quo iure possit illius restitutio exigi. Quale ergo negotium sit, quod geratur, si contingat, quid casu, quod noceat, illud damnum haud venit in computum. Altera regula a praecedente pendet. Si ergo nemo adsit, a quo damni restitutio iure peti et exigi possit, necesse est, vt patienter damnum is ferat, cui casus contigit, quo damnum datum est. Haec ita in regulis vera sunt. Vix tamen aliqua generalis adest regula, quae in quibusdam speciebus non fallat. Ita deprehendimus interdum eum, qui dominus non est, tamen rei sentire casum, imo in certis thematibus casum praestandum.

§. III.



§. III.

Monuimus, si damnum circa rem citra culpam casu contingat, *dominum* illud damnum sentire. Monuimus etiam fallere hanc regulam in certis thematibus. Huc referri debet *periculum*, quod ad emtorem venit rei emtae perfecto contractu, quamuis rei haud factus sit dominus. Facile patet, periculum hac materia idem esse, quod casus, et cum casum emtor ferre teneatur, semper damnum, quod contingere forsitan possit, ei metuendum est, seu quod idem est, subit periculum damni. Praeterea hoc periculum s. casum emtorem ferre exacte probat Tit. Digest. *de periculo et commodo rei venditae*. Emtorem vero non esse dominum, facillime ex eo iudicatur, quod emtio titulum acquirendi dominii iustum constituat, non vero modum; quare si emtor dominus efficiendus, ipsa eidem res tradenda. Est itaque ante factam traditionem venditor rei venditae dominus, nisi constituta venditori sit possessio, scilicet si venditor retineat quidem rei possessionem volente emtore, sed eius nomine, atque titulo ad transferendum dominium inhabili. Sic e. g. si a Titio fundum emero, emtione cum eo perfecta ante traditionem fundum eidem ex locato possidendum relinquo: dubium non est, fundi meum esse periculum, cum ex emto dominus factus sim re non tradita, cuius causa in mutato possidendi titulo quaerenda, et videtur intervenisse ficta quaedam traditio in ea tituli immutatione, sed haec obiter. At quaerenda adhuc causa est, ex qua veniat, vt emtor subeat periculum adhuc nondum dominus. Forsitan in hoc quaerenda causa, quod perfecto contractu, cum iam decemviri prohibuerint, quominus dominus



efficiatur emtor, donec pretium soluerit, ipsemet emtor statim moram contrahat, non soluendo pretium: Et cum, ut dein dicamus, mora casum in morosum transferat, facile perspicitur, quae sit causa, quod emtor periculum rei emtae perfecta emtione re nondum tradita, subeat.

§. IV.

Aliud exemplum, ubi is, qui rei non dominus est casum ferat, apprehenditur in pecunia *iure Bodmeriae* mutuo datae. Quamvis quidem hoc negotium non inter ea referendum sit, quae ex iure Romano veniant, tamen dubitandum non est, ad nostram exceptionem referri posse. Si enim verum est, in mutuo adesse alienationem, pecuniarumque dominum effici debitorem, quanquam haud negem, creditoris in bonis, non vero in Dominio, manere quantitatem ipsam tanquam incorporalem rem, Bodmeria vero illud mutuum denotet, cuius restitutionem debitor, qui pecuniarum mutuarum dominus factus, promittit, si salua navis in portum venerit, sequitur, creditorem ferre periculum illius pecuniae, quam mutuo dederat per bodmeriam debitori. Sentit ergo pecuniarum simul, quarum dominus non est, damnum, si casu pereat navis.

§. V.

Vtraque vero haec adducta themata ad exceptiones alteri regulae adiiciendas nos ducunt. Regula erat: *casum in nullo praestari negotio*: exceptionem adiciebamus, dari



dari tamen themata, in quibus casus utique praestandus. Iam si ad exempla de periculo in emtione, et de pecunia bodmerica attendimus, patet, *moram unam* esse causam, quae extra ordinem ad ferendum casum obligat, alteram *conventionem*. Hinc exceptio huic includitur regulae, *quoties in negotio vel mora efficit ut casus cui noceat, vel de eo ferendo adsit conventio, toties casus praestandus venit*. Iam exemplis regulam hanc illustrabimus quibusdam, haud obseruata amplius antiqui iuris distinctione in bonae fidei strictique iuris negotia, sublata scil. a *Iustiano* nostro.

§. VI.

Non repeto quae supra dixeram de periculo in emtione, potius alia dabimus probationis loco exempla. Sic e. g. in deposito, casum sentit dominus vel deponens, nunquam vero praestat in regula depositarius. At si depositarius depositam rem haud restituat, cum primum velit deponens, et sic *moram* contrahat depositarius, non dubitandum est, tunc casum praestare debere depositarium, ob auctoritatem *POMPONII* in *L. 12. π. depositi* scribentis: *Sic depositum quoque eo die, quo depositi actum sit, periculo eius, apud quem depositum fuerit, est, si iudicii accipiendi tempore potuit id reddere reus, nec reddidit*. Neque dubitandum ob eandem causam, rei commodatae post *moram*, periculum casumque fortuitum ferre debere commodatarium, si scilicet vera adsit mora, quae ex eo iudicanda, si repetiit rem commodans, *iudiciumque accipiendi tempore potuit reddere commodatarius, nec reddidit*. Sic aliud exemplum adfert *VLPIANVS* in *L. 33. Tit. de iure*



iure dot. Si extraneus dotem promiserat ex necessitate, maritus contracto matrimonio statim agere poterat aduersus dotem ex necessitate promittentem, ad eam perfoluendam. Iam si maritus non agat, imo moram in agendo committat, casu interim forsitan promittens dotem desinat esse soluendo, quaeritur, quis casum hunc praestet, quod promittens dotem soluere amplius non possit, et moroso marito tribuit *VLPIANVS c. l. Si extraneus sit*, inquit, *qui dotem promisit, isque defectus sit facultatibus: imputabitur marito, cur eum non conuenerit, maxime si ex necessitate, non ex voluntate dotem promiserat.* Addimus adhuc exemplum, quod est in *L. 47. §. 6. π. de Leg. I.* certi iuris est, rei legatae dominium venire ad legatarium, si propria testatoris res fuerit, si vero res legata perit, suo domino perit, seu casum sentit legatarius, nec aestimationem fert heres: At si in mora fuerit heres, casus ab eo praestandus. Cum enim *VLPIANVS cit. l.* scribat: *Item si fundus chasinate perierit: Labeo ait: utique aestimationem non deberi, quod ita verum, si non post moram factam id euenerit.* Inducimus ergo: legatario aestimationem deberi, si post moram factam id euenerit, ut res legata perierit.

§. VII.

Iam ad conuentionem veniamus. Casum conuentione suscipi posse et postea praestandum esse ab eo, qui conuentione suscepit, varia quoque ex ipsis legibus petita probant exempla. Sic si *pecuniam traiecitiam* contemplanur, cuius periculum casumque contra consuetam rationem fert creditor, apparet a sola conuentione partium id



id pendere, et promittere creditorem se recepturum in se fortuitum casum atque periculum. MODESTINVS enim in *L. 1. π. de nautico foen.* expresse eo respici debere censet, an pecunia vel merces ex credita pecunia compa- ratae periculo creditoris nauigent, nec ne: hoc vero a conuentione necessario pendere debet. Aliud exemplum peti potest ex contractu locationis atque conductionis: Rei enim locatae periculum ex casu pertinere ad locato- rem, regula docet: casum sentit dominus. At si condu- ctor pacto promiserit, IULIANVS censet apud VLPIA- NVM in *L. 9. §. 2. π. locat. conduct.* pacto standum, sic- que conductorem casum praestare debere. In alleg. *L. quidem vis maioris* mentio fit, sed vim maiorem interdum casum denotare, conici potest ex *L. 13. §. 1. π. de pign. act.* Ita saepe inter nostrates fit, vt locationi fundorum rusticorum adiciant *pactum Socidae* quod TABOR. pe- culiari differt. illustrauit, quod pactum inuoluit obligatio- nem ferendi casum fatalem in pecudibus, vt videlicet conductor tot restituat locatori finita locatione capita gre- gem constituentia, quot acceperat. Transfert itaque hoc pactum contra regulam periculum casumque fatalem in conductorem, quem casum proprie locator sentire debe- bat. Distinguunt quidem et controuertunt, si casum in se susceperit conductor, an omnem casum, an solum tan- tum ferre praestareque teneatur ex promisso, et videtur aequitate recepta regula, consuetum tantum ferendum casum, seu eum de quo cogitauerit, vel cogitare potue- rit conductor, non aequae eum, de quo vix cogitare tem- pore contractus potuerit, quippe ad non cogitata conuen- tiones extendi nequeant. *Litem* quidem hanc meam non faciam, at cum genus suas in se contineat species et con- tra

B

tra



tra eum interpretatio facienda, qui clarius loqui debebat, seu contra conductorem, qui exponere poterat, quem ferre vellet casum, haec enim sua res agebatur; non omnino nego, defendi posse, conductorem quoque posse teneri ex illa conuentione ad insolitissimum praestandum casum. Tandem ex multis aliis exemplis conuentionum de casu in negotio aliquo praestando, vnicum adhuc adferamus. Constat, negotiorum gestorem ad omnem culpam teneri, non aequae ad casum, qui imputari eidem non possit. Imperator **DIOCLETIANVS** vero et **MAXIMIANVS** in *L. 22. C. de negot. gest.* ad casum ferendum obligari pacto censent. Ita rescribunt *Eulogio: negotium gerentes alienum non interueniente speciali pacto casum fortuitum praestare non compelluntur.* Constat, ingenium **BYNKERSHOEKII** in *observat. Lib. I. Cap. VII.* exercuisse hoc rescriptum, qui ignorat pactum, qualiter interuenire possit, cum ignorantis negotia gerantur, quare pacto mutat in facto modesta satis crisi, non aequae necessaria. Tentabimus, an thema erui possit, quo interueniat pactum de casu fortuito praestando. Fac, absentis ignorantisque agrum colere Titium, impensasque facere, a reduce domino, qui absens fuerat exigit negotiorum ratihabitionem atque impensarum restitutionem, negat se negotium ratihabiturum dominus, nisi casum negotiorum gestor futurae messis suscipiat, pacto se suscepturum promittit. Interuenit pactum et ad casum praestandum teneri, compelli posse tunc ipsa lex iubet.

§. VIII.

Tandem praeter moram atque conuentionem interdum et ipsa lex quem ad casum praestandum, quod aliqua culpa



culpa praecedat casum, et ita in poenam facti obligat. Exemplum erit in commodatario, qui re commodata aliter utitur, uti in contractu conuentum erat, et sic furtum vsus committit. Latet haec species apud **VLPIANVM** in *L. 5. §. 7. π. commod.* Scribit: *sed interdum et mortis damnnum ad eum, qui commodatum rogauit, pertinet. Nam si tibi equum commodauero, ut ad villam adduceres, tu ad bellum duxeris; commodati teneberis*, scil. Si equus in bello periiit, ut hunc casum tu praestes. Altera species ad materiam *negotiorum gestionis* spectat. Supra memorauimus negotiorum gestoris obligationem ex pacto ad praestandum casum: iam alia species occurrit apud **POMPONIVM** in *L. u. π. de negot. gest.* scilicet pronuntiat obligatum negotiorum gestorem fore ad praestandum casum fortuitum in poenam qui insolitum nouumque gerit alterius nomine negotium. Verba ipsa rem conficiunt: *Si negotia absentis et ignorantis geras: et culpam et dolum praestare debes: sed Proculus, interdum etiam, casum praestari debere: veluti si nouum negotium, quod non sit solitus absens facere, tu nomine eius geras: veluti venales nouicios coemendo, vel aliquam negotiationem ineundo. Nam si quid damnnum ex ea re secutum fuerit, te sequetur, lucrum vero absentem.* Possemus adhuc pluribus thematibus materiam illustrare; si libelli breuitas pateretur; at satis sit, nos indicasse breuiter diuersas causas praestandi casus fortuiti.

T A N T V M.





ULB Halle

3

005 880 491




VD18





3,69 1768,7.
206.



B.I.G.

Farbkarte #13

IMEN

INENS

ONTROVERSVM

E

ESTATIONE

OD

M ORDINIS GRATIA

S I D E

HENR. BREVNING

ET GENT. PVBLIC. ORDIN.

ITER. DVISVURG.

CIO

NNO CIDIJCCLXVIII.

RIO PETRINO

DEFENDET

RESPONDENS

HVS DE DVCZEWSKY

EX PALATINATV
BVRGENSI.

S I A E

LANGENHEMIA.

